

eidentissime probavi, quod graeca lingua prorsus ignoret Aoristum secundum non minus, quam Futurum secundum, et quod Aoristus ille secundus, quem Grammatici fingunt inuita sane Minerva in Actiua voce, in Indicatio ab Imperfecto, in reliquis autem modis a Praesenti non differat, sed vbiuis potius cum istis temporibus perfecte coincidat. Longum nimis foret huius rei probationem hic subiicere, liceat itaque eam supponere, quo facto, sequitur vt hocce παραπεσόντας sit Participium Praesentis Actiuae vocis verbi παραπέσω. Non ergo transferendum est illud παραπεσόντας per Praeteritum, qui exciderunt, sed per Praesens, qui excidunt,

§. XXII.

Ad significationem huius verbi quod attinet, satis inter philologorum filios est notum, et cuilibet, qui varias praepositionis παρά notiones, quas post alios adcurate recenset Cel. SCHWARZIVS *Comment. Gr. L. p. 1026.* paullo adcuratius perpendere operae duxerit praetium, facile patefcet, quod formalis huius particulae significatus, ex quo reliquae eius notiones tantum non omnes commode possunt deduci, hic sit, vt denotet vicinitatem loci, *prope, iuxta, apud*, ergo hunc significatum etiam in παραπέσω hanc particulam tueri censendum est, praesertim cum alias verbis iuncta, hanc suam habeat vim formalem e.g. in παραγένομαι, παραδέχομαι, παραδίδωμι etc. et cum hic eius significatus cum nexu sermonis nostri paullini optime conueniat, vt ex dicendis bene patebit. Iam vero simplex πέσω notat *cado, conf.* Mat. XIII. 4. Luc. XVII. 16. Jac. V. 12 etc. ergo παραπέσω proprie erit *prope, seu iuxta eum locum cadere, in quo antea quis stabat*, id quod concinne in latino sermone potest ex-

D

primi